

utilitas publica. Quot mala, quot peccata, quot animarum detrimenta ex eorum neglectu sequantur, experientia ipsa ubique passim docet. Utinam Illustrissimi quique Primates, Metropolitani, & Episcopi, id pra oculis habeant, ne forte in tremendo iudicio Princeps Pastorum sanguinem animarum de manibus ipsorum requirat. Deserviant exemplo tot Concilia Hispania ac Novi Orbis, tum Provincialia, tum Dioecetana, Saeculo precedenti, seu decimo sexto, celebrata, eaq, doctissima, ac saluberrima &c. Hæc doctissimi Cardinalis Josephi de Aguirre verba hic consulo exscripti, ut inde intelligas, quam utilis Ecclesiæ sit, & interdum necessaria frequens Conciliorum celebratio, ac subinde quantâ animi curâ & contentione satagere debeas, ut eorum, quæ hæcenus in Ecclesia habita sunt, Conciliorum perfectam notitiam allequaris, ne forte contingat aliquando tibi, quod passim accidit etiam hodie nonnullis sciolis, qui passim turgidis faucibus, & anhelis pulmonibus Concilia citant, quæ fortè nunquam legerunt, Patres laudant, & grandia quæque auctorum nomina crepitantibus bacis declamant, quorum libros ne primoribus quidem labris degustarunt, sed dumtaxat titulos, frontem & Indices Operum inspexerunt.

D. Hunc abusum cavebo, quam diligentissime potero, sæpiusque re volvam omnia, quæ de Conciliis Generalibus, Nationalibus, Provincialibus, Dioecetanis hæcenus in precedentibus nostris Colloquiis expendimus. Novi quippè, Concilia, in quibus maturâ ac sedulâ delibera-

tione ea decernuntur, quæ & fidem ab Hereticis impetitam defendere, & labentem Ecclesiasticam Disciplinam erigere, quæque vigentem confirmare possunt, esse Ecclesiæ utilissima. Sunt enim Sacra hæc Comitia Antidota adversus venena mortifera, iis radicibus evellendis, quæ sunt instrumenta, quibus & ægris, & bene valentibus opportuna paranda sunt pharmaca, quod apta suo quæque tum tempore, tum personis adhibeatur medicina. Sunt denique media, quibus deperdita requiruntur, abjecta reducuntur, contracta alligantur, consolidantur infirma, & fortia custodiuntur. Hos, inquam, uberrimos fructus, quos ex frequenti Conciliorum celebratione abundè percepit Ecclesiæ, apprimè novi, ac deinceps pro viribus conabor mores meos ad normam Canonum, seu Sanctissimarum illarum legum, quas de vita & honestate Clericorum præscripserunt Concilia, exigere atque componere, pro certo habens, omnem tum Disciplinæ Ecclesiasticæ, tum Morum Doctrinæ relaxationem ex Canonum neglectu suam originem habuisse. Verùm, de Conciliis Saeculo XVII. habitis cum nihil aliud tibi dicendum suppetat, præsentis Colloquio nostro finem imponamus, & ad diem lunæ proximè sequentem aliud habemus Colloquium, in quo de Viris Illustribus; qui Saeculo XVIII. floruerunt, & de Operibus, quæ lucubrârunt, sermonem instituemus.

Partis I. Tom. VIII. FINIS.



HISTORIA ECCLESIASTICA, VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

UBI

PRO THEOLOGICÆ CANDIDATIS
RES PRÆCIPUÆ, NON SOLUM AD
Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam,
& Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interro-
gationes, & Responsiones perstringuntur, & in
præclaro ordine collocantur.

TOMUS OCTAVUS,

PARS SECUNDA,

COMPLECTENS

SECVLUM ECCLESIAE
DECIMUM SEPTIMUM;

AD CUIUS CALCEM ATTEXUNTUR SUBSEQUENTIUM

TABULARUM CHRONOLOGICARUM QUINQUE PRIORES
(reliquis scilicet posterioribus Tomo IX. postmodum exhibitis) Successionum Patriarcha-
rum, cum Latinorum, tum Græcorum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam
videlicet, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, &
Constantinopolitanam tenuerunt, &c.

AUCTORE

FR. IGNATIO HIACYNTHO
AMAT DE GRAVESON,

Sacrae Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis
Theologo, Ord. Fratrum Præd.

EDITIO IN GERMANIA SECUNDA.
CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Augustæ Vindelicorum & Græcii,

Sumptibus Fratrum VEITH, Anno MDCGXXVII.